



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Extravagantes Et Bvllæ Apostolicae Diversorvm Pontificum editæ contra
Magos, Incantatores, Sortilegos, aliosq[ue] Superstitiosos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

759
EXTRAVAGAN-

TES ET BVLLE APO-
STOLICAE DIVERSORVM PON-
tificum edita contra Magos, Incanta-
tores, Sortilegos, aliosq; Su-
perstitiosos.

EXTRAVAGANS
IOANNIS XXII. CONTRA
Magos, magicalque super-
stitutiones.

SUPER illius specula, quamvis im-
meriti, eius fauente clementia, qui
primum hominem humani quidem
generis protoplasti, terrenis praelatum, diuisi-
uis virtutibus adornatum, conformem &
consimilem imagini sua fecit, renouauit pro-
fugum legem dādo, ac demum liberauit cap-
tuum, reinuenit perditum, & redemit ven-
ditum merito sua passionis, ut contemplare-
mur ex illa super filios hominum, qui Chri-
stianae religionis cultu Deum intelligunt &
requirunt: dolenter aduertimus, quod etiam
cum nostrorum turbatione viscerum cogita-
mus, quamplures esse solo nomine Christia-

Bib 4 1305

nos, qui relicto primo veritatis lumine, tanta erroris caligine obnubilantur, quod cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno: demonibus namque immolant: hos adorant, fabricant, ac fabricari procurant imagines: annulum, vel speculum, vel phialam, vel rem quamcunq; aliam magicè ad demones inibi alligandos, ab his petunt, responsa ab his recipiunt, & pro implendis pravis suis desiderijs auxilia postulant, pro re fœtidissima fœtidam exhibent servitutem (proh dolor) huiusmodi morbus pestifer, nunc per mundum solito amplius conualescens, successivè gravius insicit Christi gregem. Cum igitur ex debito suscepti pastoralis officij, oves oberrantes per devia, teneamur ad caulas Christi reducere, & excludere à grege Dominico morbidas, ne alias corrumpant: Hoc edicto in perpetuum valituro, de consilio fratrum nostrorum, monemus omnes & singulos renatos fonte Baptismatis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione anathematis precipientes eisdem, quod nullus ipsorum, aliquid de peruersis diæticis dogmatibus docere ac addiscere audeat: vel quod execrabilius est, quomodolibet alio in aliquo illis uti. Et quia dignum est, quod

hi, qui per sua opera peruersa spernunt Altissimum, pœnis suis pro culpis debitis percellantur: Nos in omnes & singulos, qui contra nostra saluberrima monita & mandata facere de prædictis quicquam præsumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus, quam ipsos incurrere volumus ipso facto: statuentes firmiter, quod præter pœnas prædictas, contra tales, qui admoniti de prædictis, seu prædictorum aliquo infra octo dies à monitione computandos præfata, à præfatis non se correxerint, ad infligendas pœnas omnes & singulas, præter bonorum confiscationem dumtaxat, quas de iure merentur heretici, per suos competentes Iudices procedatur. Verum cum sit expediens, quod ad hæc tam nefanda omnis via, omnisq; occasio præcludantur, de dictorum nostrorum fratrum consilio vniuersis præcipimus & mandamus, quod nullus eorum libellos, scripturas quascunq; de præfatis damnatis erroribus quicquam continentes, habere, aut tenere, vel in ipsis studere præsumat; quin potius volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ cunctis præcipimus, quod quicunq; de scripturis præfatis vel libellis quicquam habuerint, infra octo dierum spacium ab huiusmodi edicti nostri

notitia compitandum, totum, & in toto, &
in qualibet sui parte abolere, & comburera
teneantur: alioquin volumus, quod incur-
rant sententiam excommunicationis ipso
facto, processuri contra contemptores huius-
modi (cūm constiterit) ad penas alias gra-
uiores. Datum Avinionē.

SIXTVS QVARTVS.
DILECTO FILIO VICARIO
Venerabilis Fratris nostri Episcopi
Bononiensis in spirituali-
bus generali.

Dilecte fili, salutem & Apostolicam be-
nedictionem.

Nunciatum est nobis, nonnullos ordinis
S. Marię de monte Carmeli fratres, tanta
fuisse temeritatis, ut veriti non sint dispu-
tando & predicando in nostris civitate Ba-
noniensi eiusq. comitatu asserere, nō esse ha-
reticum, & a puritate fidei alienum, demo-
num expectare responsa: ob quod aduersus
ipsius fidei puritatem scandala multa exor-
ta videtur. Nos id indignē moleste q. feren-
tes, & de premissis certam notitiam non ha-
bentes, discretioni tuę per presentes com-
mitti

mittimus & mandamus, ut omni oportuna
 adhibita diligentia & industria, veram no-
 titiam habere cures? an sit, qui fuerint hu-
 iusmodi assertores, & qua scandala propter
 ea sint exorta. Quicquid autem in praemissis
 inueneris, in scriptis authenticè redactum,
 ad dilectum filium Franciscum de Toledo,
 Notarium & Datarium nostrum domesti-
 cum, sub tuo sigillo transmittas: ut ab eo de
 omnire certiores facti, quid agi conueniat,
 auctore Domino, statuere valeamus. Da-
 tum Roma apud S. Petrum, sub annulo pesca-
 toris, die 17. Iunij. M. CCCC. LXXIII.
 Pontificatus nostri anno secundo.

INNOCENTIVS VIII.
 Inquisitoribus Germaniæ.

INNOCENTIVS EPISCOPVS
 Seruus seruorum Dei, Ad futuram
 rei memoriam.

Summis desiderantes affectibus, prout pa-
 storalis sollicitudinis cura requirit, ut fi-
 des Catholica nostris potissimè temporibus
 ubiq; augeatur, & floreat, ac omnis hereti-
 ca prauitas de finibus fidelium procul pella-
 tur, ea libenter declaramus, ac etiam de no-
 tico con-

no con-

uo concedimus, per qua huiusmodi pium desi-
 derium nostrum votiuum sortiatur effectū,
 cunctisq; propterea per nostrae operationis
 ministerium, quasi per prouidi operatoris
 sarculum erroribus extirpatis, eiusdem fidei
 zelus & obseruantia in ipsorum corda fide-
 lium fortius imprimatur. Sanè nuper ad no-
 strum non sine ingenti molestia peruenit au-
 ditum, quod in nonnullis partibus Alemania
 superioris, nec non in Moguntinen. Colo-
 nien. Treueren. Saltzburgen. & Bremen.
 prouincijs, ciuitatibus, terris, locis, & diace-
 sibus, complures utriusq; sexus persona, pro-
 priae salutis immemores, & à fide Catholica
 deuiantes, cum Demonibus incubis & suc-
 cubis abuti, ac suis incantationibus, carmi-
 nibus, & coniuurationibus, alijsq; nephandis
 superstitionibus & sortilegijs, excessibus, cri-
 minibus & delictis, mulierum partus, ani-
 malium fœtus, terrae fruges, vinearum uuas
 & arborum fructus, nec non homines, mulie-
 res, pecora, pecudes, & alia diuersorum gene-
 rum animalia, vineas quoq; pomeria, prata,
 pascua, blada, frumenta, & alia terrae legu-
 mina perire, suffocari & extinguere facere, &
 procurare, ipsosq; homines, mulieres, iumen-
 ta, pecora, pecudes, & animalia diuis tam
 intrin-

intrinsicis quàm extrinsicis doloribus &
 tormentis afficere, & excruciare, ac eosdem
 homines ne gignere, & mulieres ne concipe-
 re, virosq; ne uxoribus, & mulieres ne uiris
 actus coniugales reddere valeant, impedire:
 fidē præterea ipsam, quā in sacri susceptione
 Baptismi susceperunt, ore sacrilego abnega-
 re: Aliaq; quamplurima nefanda, excessus
 & crimina, instigante humani generis ini-
 mico, committere & perpetrare non veren-
 tur, in animarum suarum periculum, diui-
 na maiestatis offensam, ac perniciosum exē-
 plum ac scandalum plurimorum. Quodq; li-
 cet dilecti filij, Henricus Institoris, in prædi-
 ctis partibus Alemanniæ superioris, in quibus
 etiam prouincia, ciuitates, terra, diœceses,
 & alia loca huiusmodi comprehensa fore cē-
 sentur: nec non Iacobus Sprenger, per certas
 partes lineæ Rheni, Ordinis Prædicatorum,
 & Theologia Professores, hæretica præuita-
 tis Inquisitores per literas Apostolicas de-
 putati fuerunt, prout adhuc existunt, tamē
 nonnulli clerici & laici illarum partium,
 querentes plura sapere, quàm oporteat, pro
 eo quod in literis deputationis huiusmodi
 prouincia, ciuitates, diœceses, terra, & alia
 loca prædicta, illarumq; personæ ac excessus
 huius-

huius-

huiusmodi nominatim & specificè expressa non fuerunt, illa sub eisdem partibus minime contineri, & propterea prefatis Inquisitoribus in Prouincijs, ciuitatibus, diocesibus, terris & locis predictis huiusmodi Inquisitionis officium exequi non licere, & ad personarum earundem super excessibus & criminibus antedictis, punitiōem, incarcerationem, & correctionem admitti non debere, pertinaciter asserere non erubescunt. Propter quod in Prouincijs, ciuitatibus, diocesibus, terris & locis predictis excessus & crimina huiusmodi non sine animarum earundem euidenti iactura, & aeterna salutis dispendio remanent impunita. Nos igitur impedimenta qualibet, per quae ipsorum Inquisitorum officij executio, quomodolibet retardari posset, de medio submouere, & ne labes hereticæ prauitatis, aliorumque excessuum huiusmodi in perniciē aliorum innocētium sua venena diffundat, opportunis remedijs, prout nostro incumbit officio, providere uolentes, fidei zelo ad hoc maxime nos impellente, ne propterea contingat, Prouincias, ciuitates, dioceses, terras, & loca predicta sub eisdem partibus Alemania superioris debito Inquisitionis officio carere, eisdem Inquisitori-

tori-

toribus in illis officium Inquisitionis huius-
 modi exequi licere, & ad personarum earū-
 dem, super excessibus & criminibus pradi-
 ctis correctionem, incarcerationem, & pu-
 nitionem admitti debere, perinde in omni-
 bus & per omnia, ac si in litteris pradi-
 ctis Prouincias, ciuitates, dioceses, terra, & loca
 ac persona, & excessus huiusmodi nomina-
 tim, & specificè expressa forent, auctoritate
 Apostolica, tenore presentium statuimus.
 Proq̄ potiori cautela litteras & deputatio-
 nem pradi-
 ctas ad prouincias, ciuitates, dia-
 ceses, terras, & loca, nec non personas, & cri-
 mina huiusmodi extendentes, prafatis In-
 quisitoribus, quod ipsi & alter eorum accer-
 fito secum dilecto filio, Ioanne Gremper Cle-
 rico Constantien. diocesis magistro in arti-
 bus eorum moderno, seu quouis alio notario
 publico, per ipsos, & quemlibet eorum pro tē-
 pore deputando in Prouincijs, ciuitatibus,
 diocesis, terris, & locis pradi-
 ctis contra
 quascunq̄ personas cuiuscunq̄ conditionis
 & praerminentia fuerint, huiusmodi Inqui-
 sitionis officium exequi, ipsasque personas
 in quas praemissis culpabiles reperierint,
 iuxta earum demerita corrigere, incarcere-
 rare, punire & mulctare. Nec non in singu-
 lis

lis Prouinciarum huiusmodi parochialibus
 Ecclesiis, verbum Dei fideli populo, quotiens
 expedierit, ac eis visum fuerit, proponere &
 predicare, omniaq; alia & singula in pra-
 missis & circa ea necessaria & oportuna fa-
 cere, & similiter exequi liberè & licitè va-
 leant, plenam ac liberam, eadem auctori-
 tate de nouo concedimus facultatem. Et nihi-
 lominus venerabili fratri nostro Episcopo
 Argentinensi, per Apostolica scripta man-
 damus, quatenus ipse per se, vel per alium,
 seu alios praemissa ubi, quando, & quotiens
 expedire cognouerit, fueritq; pro parte In-
 quisitorum huiusmodi seu alterius eorum le-
 gitimè requisitus, solemniter publicans, non
 permittat eos per quoscunq; super hoc contra
 praedictarum & praesentium litterarum te-
 norem, quauis auctoritate molestari seu a-
 lias quomodolibet impediri: molestatores &
 impedientes, & contradictores quoslibet &
 rebelles cuiuscunq; dignitatis, status, gradus,
 praeminentiae, nobilitatis, & excellentiae,
 aut conditionis fuerint, & quocunq; exemp-
 tionis priuilegio sint muniti, per excommu-
 nicationis, suspensionis, & interdicti, ac a-
 lias etiam formidabiliores, (de quibus sibi
 videbitur) sententias, censuras & poenas,
 omni

omni appellatione postposita, compescendo,
 & etiam legitimis super his per eum seruandis
 processibus, sententias ipsas, (quoties opus
 fuerit) aggravare, & reaggravare, auctori-
 tate nostra procuret, invocato ad hoc, si opus
 fuerit, auxilio brachij secularis. Non obsta-
 tibus premissis ac Constitutionibus & ordi-
 nationibus Apostolicis contrarijs quibuscunq;
 Aut si aliquibus communiter vel divisim ab
 Apostolica sit sede indultum, quod interdici,
 suspendi, vel excommunicari non possint, per
 litteras Apostolicas non facientes plenam &
 expressam, ac de verbo ad verbum, de indul-
 to huiusmodi mentionem, & qualibet alia
 dicta sedis indulgentia generali vel speciali,
 cuiuscunq; tenoris existat, per quam presen-
 tibus non expressam, vel totaliter non inser-
 tam, effectus huiusmodi gratia impediri
 valeat, quomodolibet vel differri, & de qua-
 cunq; toto tenore habenda sit in nostris litte-
 ris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
 paginam nostre declarationis, extensionis,
 concessionis, & mandati infringere, vel ei au-
 su temerario contraire. Si quis autem hoc
 attentare presumpserit, indignationem om-
 nipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli

Ccc

Aposto-

Apostolorum eius se nouerit incursum.
 Datum Roma apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominice 1484. Non. Decembr.
 Pontificatus nostri anno primo.

ALEXANDER VI.
 DILECTO FILIO ANGELO
 de Verona, Ordinis Prædicatorum, Sacrae Theologiæ Professore, in Prouincia Lombardiæ hæreticæ prauitatis Inquisitori.

Dilecte fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum acceperimus in Prouincia Lombardiæ, diuersas utriusq; sexus personas, diuersis incantationibus, & diabolicis superstitionibus operam dare: suisq; veneficijs, & vanis obseruationibus multa nefanda scelera procurare, homines & iumenta, ac campos destruere, & diuersos errores inducere, magnaq; inde scandala exoriri: decreuimus pro pastoralis officij nobis ex alto commissi ministerio, scelera huiusmodi compefcere: ac scandalis & erroribus præmissis, quantum cum Deo possumus, occurrere. Ea propter tam tibi: quam etiam successoribus tuis, per Lombardiam

Hardiam constitutis, de quibus in his & alijs
 plenam in Domino fiduciam obtinemus, cō-
 mittimus & mandamus; ut etiam soli, ho-
 nesto tamen comitatu per vos eligendo asso-
 ciati, contra easdem utriusq; sexus personas
 diligenter inquiratis: easq; iustitia median-
 te puniatis, & compescatis. Et ut melius cō-
 missionem huiusmodi exequi possitis, contra
 illas vobis plenam & omnimodam harum
 serie concedimus facultatem. Constitutioni-
 bus, & ordinationibus Apostolicis, nec non
 indultis & concessionibus, ordinarijs for-
 san pro tempore factis, ceterisq; contrarijs
 quibuscumq; non obstantibus. Datum Ro-
 ma apud Sanctum Petrum, sub annulo Pis-
 catoris, die, &c.

LEO PAPA X.

VNIVERSIS ET SINGVLIS
 locorum Ordinarijs, ac hæreticæ prauitatis
 Inquisitoribus in dominio Vene-
 rorum consistentibus, Salutem &
 Apostolicam benedi-
 ctionem.

Honestis petentium votis libenter an-
 nuimus, eaq; favoribus persequimur op-
 por-

Ccc 2.

por-

fortunis. Alias ad petitionem dilectorum fi-
 liorum nobilium virorum Ducis & Dominij
 Venetorum, cum in Brixienti & Pergamensi
 ciuitatibus & diocesibus, quoddam hominum
 genus perniciosissimum ac damnatissimum
 labe haretica, per quam susceptore renuncia-
 batur Baptismatis Sacramento, Dominum
 abnegabant, & Satana, cuius consilio sedu-
 cebantur, corpora & animas conferebant,
 & ut illi rem gratam facerent, in necandis
 infantibus passim studebant, & alia malefi-
 cia & sortilegia exercere non verebantur,
 quod ita factum esse videbatur, ut ad eorum
 errorem extirpandum opportuna adhibere-
 tur remedia. Volentes etiam eiusdem gene-
 ris nonnullos indicibili pena obstinate vi-
 tam potius perfide amittere, quam errorem
 suum cognoscere maluisse, & propterea deri-
 goroso nimium (ut dicebatur) vestri ordina-
 riorum contra tales processu, dubitantes, Ve-
 nerabilem fratrem Episcopum Polensem no-
 strum & Apostolica sedis apud eosdem Ducem
 & dominium Nuncium vobis adiungendum
 duximus, cum facultate per se vel alium, seu
 alios processus per vos habitos, seu factos ex-
 aminandi, & reuidendi: & si vos Inquisito-
 res processus predictos rite & recte, ac iuxta
 for-

formam iuris habitos fecissetis contra tale
 hominum damnatorum genus unà vobiscū
 procedendi & inquirendi; nec non procura-
 tores & aduocatos, scribas, ceterosq; ad In-
 quisitionis præfate exercitium necessarios
 & opportunos, officiales & ministros cum
 competentibus salarijs deputandi, & homi-
 nes prædictos (quod redire ad Ecclesia uni-
 tatem vellent) clementer suscipiendi, eisq;
 pœnitentiam salutarem iniungendi, & eos
 absoluedi, etiam in utroq; foro, & incorri-
 gibiles condemnâdi, & brachio seculari tra-
 dendî, ceteraq; quæ vos de iure, vel consue-
 tudine facere possētis, & deberetis faciendi,
 gerendi, exercendi, & exequendi, prout in
 litteris de super confectis continetur.

Cum igitur commissionis huiusmodi vi-
 gore præfatus Nuntius, venerabilem fratrem
 Episcopum Iustinopolitanum in partibus il-
 lis commorantem, ad præmissa unà vobiscum
 pertractanda & exequenda subdelegauerit,
 vosq; & ipse subdelegatus in valle Commu-
 nica Brixienſis diœcesis, ubi maximè huius-
 modi damnati generis homines vigent &
 pullulant, processeritis; ac nonnullos culpabi-
 les repertos, & curia seculari tradendos, nec-
 non iam condemnatos habueritis, videtur,

Cct 3 quod

quod per Venetorum Collegium Pratori Brixiensi mandatum fuerit, ne sententias huiusmodi exequeretur, & vobis & eidem subdelegato, ne ad executionem illarum procederetis inhiheret, prout inhihitum fuit: ac expensas & salaria pro huiusmodi Inquisitionis negotio necessaria submoueret, & retraheret: nec non processus contra culpabiles predictos habitos & factos eis transmitteret, seu transmitti faceret: & quod deterius est, subdelegatum predictum ad coram eis in ciuitate Venetiarum comparendum cogeret & cōpelleret, prout coactus & cōpulsus fuit. Et quia propter dictas litteras, in quib. dictus Nuncius adiunctus fuit, ab aliquibus hesitatur, an propter hoc facultas vestra diminuta existat, ita qd̄ prout ante datas huiusmodi litteras potuissetis, procedere non possitis: inde censq̄ & contra iuris & sacrorū canonum dispositionē, ac Ecclesiasticam libertatem existat, laicos de personis & causis ecclesiasticis se intromittere, nolle q̄ iniunctā à vobis executionē adimplere, nisi processibus, ac sentētis p̄ eos visis & examinatis, ac si ipsi in clericos causasq̄ ecclesiasticas superioritatē & iurisdictionem haberent: cum tamē in clericos causasq̄ huiusmodi, laicis nulla facultas

facultas attributa sit, quos obsequēdi & exe-
quendi manet necessitas, non auctoritas im-
perandi, propter quod inter Christi fideles nō
modicum surgit scandalum. Nos igitur, ne
quod ad salutem animarum, & dictarum
causarum faciliorem expeditionem intro-
ductum est, in damnum & percellationem
conuertatur, & propterea ob diuturnitatem
tēporis infelices animae huiusmodi peccatis
magis grauētur, & ad omne circa hoc dubiū
tollēdum, vos prout ante datas dictas literas
de iure & cōsuetudine seu priuilegio procede-
re poteratis, nec non etiā contra maleficos &
sortilegos ac à fide apostatātes, prout crimi-
nis postulauerit qualitas, procedere posse &
debere, auctoritate Apostolica, tenore praesen-
tiū decernimus & declaramus; vobis cōmit-
tentes & mandātes, ut eosdē Venetos, & illo-
rū Ducē, ac officiales suos, ne ipsi ulterius in
huiusmodi causis se intromittant, sed quod
iniunctas sibi executiones, & forte iniungē-
das, postquā requisiti fuerint, sine aliqua pro-
cessuū, p̄ dictos ecclesiasticos iudices factorū
uisione, uel examinatione prōptē exequātur
moneatis & hortemini. Et si hoc facere neg-
lexerint, uel recusauerint, vos eos p̄ cēsuras
ecclesiasticas & alia iuris opportuna remedia

appellatione postposita compellatis. Premissa
ac constitutionibus & ordinationibus Apo-
stolicis, statutis q̄, & consuetudinibus ciuita-
tum & diocesum predictarum, iuramento,
firmatione Apostolica, vel quauis firmitate
alia roboratis, ceteris q̄, contrarijs non ob-
stantibus quibuscunq̄.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub an-
nulo Piscatoris, die 15. Februarij. M. D. XXI.
Pontificatus nostri anno octauo.

ADRIANVS VI. Inquisitori Comensi.

Dilecte fili, Salutem & Apostolicam be-
nedictionem.

Dudum, uti nobis exponi fecisti, per fœli-
cis recordationis Iulium Papam II. prede-
cessorem nostrum, non sine magna tunc ani-
mi sui displicentia accepto, quod per quendam
Georgium de Casali, ordinis fratrum Predi-
catorum professorem, & in ciuitate Cremo-
nensi heretica prauitatis Inquisitorem de-
putatum, in nonnullis Lombardia partibus,
& præsertim in locis, in quibus dictus Geor-
gius Inquisitor deputatus erat, reperta fue-
runt

vunt quamplures utriusq; sexus persona, propria salutis immemores, & à fide Catholica deviantes, certam sectam facientes, fidem quam in sacri susceptione Baptismatis susceperant, abnegantes, sanctam Crucem pedibus conculcantes, & opprobria super eam perpetrantes, ecclesiasticis & præsertim Eucharistia sacramentis abutentes, diabolum in suum dominum & patronum assumētes, ei q; obedientiam & reuerentiam exhibentes, & suis incantationibus, carminibus, sortilegijs, alijsq; nefandis superstitionibus, iumentis & fructus terræ multipliciter ladentes, aliaq; quam plurima nefanda, excessus, & crimina eodem diabolo instigante committentes, & perpetrantes, in animarum suarum periculum, diuina maiestatis offensam, perniciosumq; exemplum, & scādalum plurimorum.

Contra quas cum dictus Georgius tunc (vbi assererat) in dictis locis sue Inquisitioni deputatis, prout ipsius Georgij incumberebat officio, ipse Georgius processisset: nonnulli autē tam clerici quàm laici illarū partium, quærentes plus sapere quàm oportet, præmissa delicta, ad eiusdem Georgij Inquisitionis officium non pertinere temerè asserentes, præsumētes in populo errores & scandala semi-

nauerunt: sic q̄ eundem Georgium in populo
 odiosum reddere, & dicti Georgij officium im-
 pedire conati fuerunt, prout etiam tunc im-
 pediebāt: ita quod propter premissa, persone
 predicta delicta huiusmodi perpetrantes,
 remanebant impunita, & alia eorum exem-
 plo ad similia perpetranda quotidie induce-
 bantur, in non modicum fidei opprobrium, a-
 nimarum periculum, & scandalum pluri-
 morum. Dicitur predecessor volens (ne inqui-
 sitionis officij executio quomodolibet retar-
 daretur, & labes heretica prauitatis longius
 venena diffunderet) providere, dicto Georgio
 per quasdam suas in forma breuis litteras,
 commisit & mādauit quatenus in locis eius-
 dem Georgij inquisitioni deputatis, de ex-
 cessibus huiusmodi cognoscere, & cōtra quas-
 cunq̄ personas, cuiuscunq̄ conditionis & prae-
 eminentia forent, inquisitionis officium ex-
 exercere & exequi: ipsasq̄ personas, quas in
 premissis culpabiles reperiret, vnā cum lo-
 corum ordinariorum Vicarijs, quatenus vo-
 lūissent interesse, iuxta dictarum persona-
 rum demerita, corrigere & punire deberet,
 secundum modum contra alios hereticos à
 iure ex sacris canonibus statutum: cōtradi-
 ctiores quoscunq̄ per censuram ecclesiasticā,
 & a

& alia iuris opportuna remedia compescen-
 do. Eos verò qui in præmissis, cõsilium, auxi-
 lium, vel fauorem præstarent, præfatus præ-
 decessor noster, eisdẽ indulgentiis uti & gau-
 dere decreuit, quibus cruce signati contra a-
 lios hereticos, ex indulto Apostolico eis con-
 cesso, tunc gaudebant & utebantur, prout in
 dictis literis plenius cõtineri dicitur. Et sicut
 eadẽ expositio subiungebat, nõ solum delicta
 & crimina huiusmodi contra fidem Catho-
 licam, & Christianã religionem, sub iurisdic-
 ctione inquisitoris Cremonensis committũ-
 tur, & perpetrantur, sed in omnibus alijs lo-
 cis & diæcesibus, sub iurisdictione aliorũ in-
 quisitorum dicti ordinis congregationis Lõ-
 bardia, indies perpetrantur & cõmittuntur.
 Et cum eadem sint delicta, eadem profectò
 prouisione & castigatione eis est earundẽ li-
 terarũ tenore prouidendum. Quare tu, sicut
 asseris, in ciuitate Comẽsi, ubi dicta prauita-
 tis Inquisitor existis, tã tuo, q̃ omnium aliorum
 dictorum ordinis & congregationis hereticæ
 prauitatis Inquisitorũ ubilibet consistet in
 deputatorũ nominib⁹, fecisti nobis humiliter
 supplicari, ut litteras prædictas ad vos extẽ-
 dere & ampliare, aliasq̃ de super opportune
 dignaremur puidere. Nos igitur huiusmodi
 sup-

Supplicatione inclinati, litteras predictas, cum omnibus in eis contentis clausulis, in omnibus & per omnia, prout in eisdem litteris continetur, ad te & ad alios ordinis congregationis huiusmodi Inquisitores, tam in presentiarum deputatos, quam in futurum perpetuis futuris temporibus deputandos, ac si tibi, & cuilibet Inquisitorum predictorum dirigeretur, & directe fuisset, Apostolica auctoritate tenore presentium extendimus. Ipsasque litteras tibi & illis, ut premititur, eisdem auctoritate & tenore concedimus. Non obstantibus omnibus illis, quae idem Iulius praedecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret presentes litteras, ad singula loca, in quibus de eis fides forsitan fuerit facienda, deferre: volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis, manu cuiuscumque notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiae, seu personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis: in iudicio & alibi, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem presentibus, si foret exhibita vel ostensa. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XX. Iulij, M.D. XXIII. Pontificatus nostri anno I.

SIXT.

SIXT. V. PROHIBITIO
CONTRA IVDICIARIAE ASTRO-
logia artem, incantationes, diuinationes,
& sortilegia, & libros, in quibus
huiusmodi continentur, &c.

SIXTUS EPISCOPUS,
 Seruus seruorum Dei, Ad perpetuam
 rei memoriam.

Coeli & Terra Creator Deus, quem unū
 Omnipotentem corde credimus ad iusti-
 tiam, & ore confitemur ad salutem, et si ho-
 mini, quem ad imaginem, & similitudinem
 suam creauit, mentem dedit, quae non solū
 diuino fidei lumine illustrata, mysteria illa
 cognosceret, quae humanam intelligentiam
 superant, sed etiam naturae suae vi, magno li-
 cet cum labore, praeclara multa inuestigaret,
 atq; intelligeret, Tamen, ut superbum ani-
 mal homo non altum saperet, sed timeret, &
 immensam conditoris sui maiestatem, humili-
 stratus veneraretur, sibi soli eorum, quae eue-
 tura sunt, scientiam, & futurarum rerum
 cognitionē reseruauit. Solus enim ipse, cuius
 oculis omnia nuda, & aperta sunt, & ad inti-
 mas hominum cogitationes penetrat, & con-
 sequētes eorum actiones intuetur, solus ipse
 quē

qui vocat ea, quæ non sunt, tanquã ea, quæ sunt, omnia presentia, & ante oculos posita habet, solus deniq; omnia, & singula quæcũq; totius temporis decursu, & seculorum et atibus futura sunt, ab omni eternitate nouit, & admirabili prouidentia disposuit, quæ non modo humana mentis imbecillitas ignorat, sed nec Demones ipsi presentire possunt. Quare Idolorum in futuris annunciandis falsitatem & imbecillitatem, & eorum qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus S. apud Isaiam illis verbis. Annuncia-

te quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis. & in nouo Testamento Christus Dominus discipulorum suorum de futuris euentis paulo cupidius inquirẽtium, interrogationem graui illa responsione retulit, quæ etiã omnium fidelium suorum curiositatem coërcuit. Non est vestrum scire tẽpora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Nec verò ad futuros euentus, & fortuitos casus prænoscendos (futuris euentibus ex naturalibus causis necessario, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) vlla sunt vera artes, aut disciplina, sed fallaces, & vanæ improborum hominum astutia.

stitia, & Demonum fraudibus introducta,
 ex quorum operatione, consilio, vel auxilio
 omnis diuinitio dimanat, siue quod expressè
 ad futura manifestanda inuocentur, siue
 quod ipsi prauitate sua, & odio in genus hu-
 manum, occultè, etiam præter hominis in-
 tentionem se ingerant, & intrudant vanis
 inquisitionibus futurorum, ut mentes ho-
 minum perniciosis vanitatibus, & fallaci
 contingentium prænunciatione implicentur,
 & omni impietatis genere deprauentur. Quæ
 quidem ipsis cognita sunt, nõ diuinitate ali-
 qua, nec vera futurarum rerum sciētia, sed
 natura subtilioris acumine, & alijs quibus-
 dam modis, quos hominum obtusior intelli-
 gentia ignorat. Quamobrem dubitandum
 nõ est, in huiusmodi futurorum, contingen-
 tium, & fortuitarum euentuum inquisitione,
 & præcognitione, diaboli operationem se fal-
 laciter immiscere, ut sua fraude ac dolis, mi-
 seros homines à via salutis auertat, & la-
 queo dānationis inuoluat. Quæ cum ita sint,
 nonnulli hæc fideliter, & religiosè, ut de-
 bent, non attendentes, sed curiosa sectantes,
 grauitè Deum offendunt, errantes ipsi, &
 alios in errorem mittentes; tales in pri-
 mis sunt. Astrologi olim Mathematici,
 Gena-

Gena-

Genethliaci, & Planetarij vocati, qui vanā, falsamque syderum, & astrorum scientiam profitentes, diuina q̄ dispositionis ordinatiōnem, suo tempore releuandam praeuenire audacissimè satagentes, hominum natiuitates, seu genituras ex motu syderum, & astrorum cursu metiuntur, ac iudicant futura, siue etiam praesentia & praeterita occulta, atq̄ ex puerorum ortu, & natali die, siue quauis alia temporū & momentorum vanissima obseruatione, & notatione, de vniuscuiusq̄ hominis statu, cōditione, vite cursu, honoribus, diuitijs, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitijs, carceribus, cadibus, varijs discriminibus, alijsq̄ prosperis & aduersis casibus, & euentibus praecognoscere, iudicare, & affirmare temerè praesumunt, non sine magno periculo erroris, & infidelitatis, cum S. Augustinus praecipuum Ecclesiae lumen, eum, qui haec obseruat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Christianam fidem, & Baptismum praenari- tasse affirmet, vt illos merito Apostolus arguat, atq̄ increpet illis verbis: Dies obseruat, & menses, & tempora, & annos, timeo vos, ne fortè hęc causa laborauerim in vobis.

Hē

S. 4.

Hi igitur leuissimi, & temerarij homines in miserandam animarum suarum ruinam, graue fidelium scandalum, & Christianae fidei detrimentum, futuros rerum euentus, & quaecūq; prosperè, vel aduersè obuentura sunt, ac actus humanos; ea deniq; quae ex libera hominum voluntate proficiuntur, astris, syderibusq; ascribunt, eisque eam facultatem, vim seu virtutem, & efficaciam tribuunt significandi futura, & ad praecognita ita inclinandi, ut sic omnino, nec aliter euentura sint, atq; ob eam causam de ijs rebus omnibus iudicia facere, prognostica, praedictiones, & praecognitiones sibi assumere, & palam venditare non dubitant, quibus non pauci rudes, & imperiti, aliq; nimis creduli, & imprudentes tantam fidem praestant, ut ex huiusmodi iudiciorum, & praedictionum praescripto, aliquid certò esse credat, aut sperent, quorum sanè, & mendacium magistrorum temeritas, & infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel diuinis literis admoniti non intelligunt hominis praestantiam, cui caeli & Stella, & clarissima Caeli sydera Sol, & Luna, Deo ita disponente, non imperant, sed inserviunt, sic enim Moyses populum Dei,

D d d wt.

Deut. 10.

ut hunc errorem caueret, pramonebat. Ne fortè euenatis oculis ad cælum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministeriũ cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt. Sed quid sydera mirandum est homini seruire? nonnè nobilissima intelligentia Angeli ipsi, omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis? nam rationales oues ita diligit Deus, ut

Li. 2. in Lu.

non solum Episcopos, quemadmodũ à S. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinauerit, sed etiam Angelos destinauerit.

Lib. 3. in Matth.

Praclare etiam S. Hieronymus: Magna dignitas animarum, ut unaquæq; habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Quod si Angeli homines custodiunt, quid aduersus Angelorum custodiam, & tutelam astra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipsis Angelis nullo modo sunt comparanda? Nec sanè hoc loco prætereunda est, eximij Ecclesie Doctoris, & Beatissimi Pontificis Magni Gregorij sententia, qui

Homil. 20. in Euang.

Priscillianistas hæreticos unumquemq; hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum, & verborum pondere

dere confutat. Absit (inquit) à fidelium cor-
 dibus, ut aliquid esse fatum dicant, vitam
 quippè hominū solus hanc conditor, qui crea-
 uit administrat, neq̄, enim propter stellas
 homo, sed stella propter homines facta sunt,
 etsi stella fatum hominis esse dicitur, ipsis
 suis ministerijs subesse homo perhibetur. Vti-
 nam insani homines hac saperent, & intel-
 ligerent, ac Dei monitis obtemperarent in
 Leuitico dicentis. Non declinetis ad Magos, Leui. 20.
 nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, ut pollu-
 amini per eos: Neq̄, enim quæ Christiana,
 & vera pietas repellit, ac damnat, tanto stu-
 dio inuestigarent, iisdem misere se decipi, at-
 que irretiri paterentur. Sunt etiam inanes
 quidam homines, & curiosi, vel impij, & ir-
 religiosi, qui futurarum, & occultarū alia-
 rum rerum notitiam a deo anxie habere stu-
 dent, ut ob eadem prænoscenda, & inuesti-
 ganda in diuina legis offensionem multipli-
 citer incurrant. Alij enim Geomantie, Hy-
 dromantie, Aeromantie, Pyromantie,
 Onomantie, Chiromantie, Necromantie,
 alijsq̄ sortilegijs, & superstitionibus, non si-
 ne Demonum saltē occulta societate, aut
 tacita pactione, operam dare, seu illis, ac sor-
 tibus illicitis taxillorum, grandrum triticeo-
 rum,

Ddd a rum,

rum, vel fabarum iactu uti non verentur. Alij verò aliquas pristina, & antiquata, ac per crucis victoriam prostrata Idololatria reliquias, retinentes, quibusdam augurijs, auspicijs, similibusue signis, & vanis observationibus ad futurorum diuinationem intendunt. Alij item sunt, qui cum morte factus ineunt, & pactum faciunt cum inferne, qui similiter ad occultorum diuinationem ad inueniendos thesauros, vel ad alia facinorosa perpetranda, etiam expressa cum Diabolo pactatione facta, in manifestam suarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, instrumenta, & veneficia adhibent circulos, & diabolicos characteres describunt, Demones inuocant, aut consulunt, ab eis responsa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum suffimenta, seu fumigationes, aliaue sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris, vel sacramentis, aut sacramentalibus sacrilegè abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quæuis alia impietatis obsequia præstāt, cultum uenerationem tribuunt, aut annulum, vel speculum, aut paruas phyalas sibi fabricant, aut fabricari curant ad demones in eis alligandos, seu includendos, ut putant, ad responsa
ab ip-

ab ip
tere
pha
de fi
quir
Eua
ces g
giat
dam
vasc
acce
min
niun
tes, v
dog
falla
ter fi
appa
sione
dacy
rijs s
& oc
runt.
Quo
mus
bet, n
dolis,

ab ipsis inde petenda, aut habenda. Alij præ-
 terea etiam in corporibus obsessis, vel lym-
 phaticis & phanaticis mulieribus Demones
 de futuris, vel occultis rebus, aut factis ex-
 quirunt, ut merito ab eis, quos Dominus in
 Euangelio tacere imperavit, vanas, menda-
 cesq; referant responsiones. Alij quoq; præsti-
 giatores, frequentius verò muliercula qua-
 dam superstitionibus dedita in phyalis, seu
 vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo
 accensis candelis, etiam benedictis sub no-
 mine Angeli Sancti, & albi, Diabolum om-
 nium malorum satorem supplices adoran-
 tes, vel in unguibus, aut palma manus, quã-
 doq; etiam oleo perunctis eundem omnium
 fallaciarum architectum orant, ut simili-
 ter futura, vel occulta quantum per spectra, &
 apparentes imagines, seu phantasticas vi-
 siones sibi ostendat, aut ab eodem patre men-
 daci Diabolo alijs incantationibus, aut va-
 rijs superstitionis observationibus, futurorũ;
 & occultorum huiusmodi veritatem qua-
 runt, & hominibus predicere contendunt.

Quorum omnium, quos supra enumeravi-
 mus consimilis impietas parem exitum ha-
 bet, nimirum, quod Demonis prestigijs, ac
 dolis, tum qui diuinant, tum qui diuinatio-

nem expetunt illusi, ac delusi miserrimè reperiuntur. Ita q̄ cum futuros euentus in se-
 ipsis considerare, antequam fiant, sit Dei pro-
 prium, illud necessario consequitur, ut Astro-
 logi, & alij prædicti, qui huiusmodi futura
 prænuntiare, aut prænoscere quocūq̄ modo,
 nisi Deo reuelante audent: iniuste atq̄ im-
 pudenter, quod Dei est sibi assumant, & usur-
 pent. Sic fit, ut dū ab eis, quod solius est crea-
 toris perperam creaturis tribuitur, diuina
 Mæstas grauius laedatur, fidei integritas
 violetur, & animabus pretioso Christi san-
 guine redemptis, pestis, atq̄ exitium impor-
 tetur. Et licet iam pridem regulis iudicis li-
 brorum prohibitorum ex decreto sacri Ge-
 neralis Trid. Concil. confecti, illud inter cæ-
 tera constitutum fuerit, ut Episcopi diligen-
 ter prouiderent, ne huiusmodi Astrologiæ iu-
 dicialiæ libri, tractatus, & indices legeren-
 tur, vel haberentur, qui de futuris contin-
 gentibus, successibus, fortuitisq̄ casibus, aut
 ijs aõtionibus, quæ ab humana voluntate
 pendent, certo aliquid euenturum affirmare
 audent, permisis tamen iudicijs, & natura-
 libus obseruationibus, quæ nauigationis, a-
 griculiuræ, siue medicæ artis iuuanda gra-
 tia conscripta fuissent. Libros vero omnes,
 & scrip-

& scripta Geomantia, Hidromantia, Chi-
 romantia, Necromantia, siue in quibus con-
 tinentur sortilegia, veneficia, auguria, aus-
 picia, incantationes artis magicæ, prorsus
 rejci, & aboleri curarent. Non tamen er-
 rorum, corruptelarum, delictorum, & ab u-
 suum predictorum extirpationi usq; adeo
 prouisum est, quin etiã adhuc in nonnullis lo-
 cis, & apud plurimos curiosius vigeant, cum
 valde frequenter, detectis Diaboli insidijs,
 diuinationum, sortilegiorum, & variarum
 superstitionum omnia plena esse in dies de-
 tegantur. Nos igitur, qui pro nostro pastora-
 lis officij munere fidei integritatem inuio-
 latam conseruare debemus, & animarũ sa-
 luti prospicere, quantum diuina gratia ad-
 iutrice possumus, ex paterna charitatis vis-
 ceribus optamus, damnantes, & reprobantes
 omne genus diuinationum, qua Diabolo
 auctore ad fidelium deceptionem à predictis
 curiosis, vel perditis hominibus fieri solent.
 Cupientes præterea Sanctã illam Christia-
 na Religionis simplicitatem, præsertim ubi
 agitur de summa Creatoris Dei potestate, sa-
 pientia, & prouidentia ab omni erroris labe
 integram, atq; incorruptam, ut par est, reti-
 neri: Volentes quoq; predicta falsæ creduli-

tati, ac huiusmodi illicitarū diuinationum
& superstitionum, detestabili studio, & exe-
crandis flagitijs atq; impuritatibus occur-
rere, vt de Christiano populo merito dici pos-
sit quod de antiquo Dei populo scriptum est.

Num. 23.

Non est augurium in Iacob, neq; diuinitio
in Israël. Hac perpetuo valitura constitutio-
ne, Apostolica auctoritate statuimus, & mā-
damus, vt tam contra Astrologos, Mathe-
maticos, & alios quoscunq; dicta iudiciarie
Astrologia artem, praterquam circa agri-
culturam, nauigationem, & rem medicam
in posterum exercentes, aut facientes iudi-
cia, & natiuitates hominum, quibus de fu-
turis, contingentibus successibus, fortuitisq;
casibus, aut actionibus, ex humana volun-
tate pendentibus aliquid euenturum affir-
mare audent, etiam si id se non certo affir-
mare asserant, aut protestantur, quam con-
tra alios vtriusq; sexus, qui supradictas dam-
natas, vanas, fallaces, & perniciosas diui-
nandi artes, siue scientias exercēt, profiten-
tur, & docent, aut discunt, qui se huiusmodi
illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones,
veneficia, incantationes, ac premissa
detestanda scelera, & delicta, vt praefertur
faciunt, aut in eis se quomodolibet intromit-
tunt,

tunt, cuiusq; dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Pralati, superiores, ac alij ordinarij locorum, quam Inquisitores heretica prauitatis ubiq; gentium deputati, etiamsi in plerisq; ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirent, & procedant, atq; in eos seuerius Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.

Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi iudicialia Astrologia, Geomantia, Hydromantia, Pyromantia, Onomantia, Chiromantia, Necromantia, artis Magica, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes ac superstitiones continetur, ac ut supra in memorato indice interdictos sub censuris, & pœnis in eo contentis à quibuscunq; Christifidelibus legi, aut quomolibet retineri, sed illos Episcopis, & ordinarijs locorū, vel Inquisitoribus predictis presentari, & consignari debere.

Et nihilominus eadem auctoritate, statuimus & mandamus, ut contra scienter, legentes, aut retinentes libros, & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter ijdem Inquisitores liberè, & licitè

Ddd 5 pro-

procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coërcere possint.

Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscumq̃.

Vt autem presentes nostræ litteræ ad communem omnium notitiam facilius deducantur: Iubemus illas in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranens. & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ affigi, seu appendi, eisq̃, detractis ipsarū exempla, etiam impressa eisdem in locis affixa relinquere. Et insuper vniuersis, & singulis venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum ordinarijs, & praelatis, necnon Inquisitoribus hæreticæ prauitatis vbilibet constitutis, per hæc committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se vel alium, seu alios easdem presentes litteras, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint, in suis, & singulis parochialibus Ecclesijs, dum in eis populi multitudo ad diuinam conuenerit, deinde vero semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant.

Quia

Quia vero difficile foret presentes litteras ad singula quaeq; loca, in quibus de eis fides facienda erit deferri. Volumus, ut earum transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac paruo sigillo Sanctae Romanae, & vniuersalis Inquisitionis, aut alicuius praelati, vel Curiae Ecclesi. munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra ubique locorum adhibeatur, quae eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, mandatorum, prohibitionis, iussionis, commissionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romae, apud S. Petrum,

Anno Incarnationis, 1585. Nonis Ianuar. Pont. nostri

Anno 1.

INDEX